Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2739

Quelle:
Copyright:

Floro &c. Quadrata rotundis mixta accedente tamen ad calcem *Indice* materiarum.

III. *fol.* 31. p. 2. *Incipiunt septem enigmata ariſtotelis moralizata que recitantur a Valerio maximo libro 3° ad Ruffianum.* Nugae! *Ariſtoteles* pro *Pythagora*, inter cujus Ἰεgα ἀποφθεγματα *Aenigmata* noſtra leguntur, et *Liber III. Valerii Max. ad Ruffianum*, cui quidem ortum dediſſe videtur ſpuria illa Epiſtola *Valerii ad Ruffinum*, quae inter *Hieronymo* ſubpoſita habetur edit. *Vallarſ.* T. XI. *col.* 240. quamvis in ea nil *Aenigmatum* horum occurrat. *Moralizationis* noſtrae Autor chriſtianus eſt; ita enim orditur: *Poſſide ſapientiam quoniam melior eſt auro. Prov.* XVI. *Sepe contingit quod propter aurum homo ſpiritualiter ad mortem tendit* &c. Symbola vero, quae exponit, haec ſunt: *Stateram non tranſilias. Ignem ne foueas* (fodias σκαλευειν) *gladio. Coronam ne carpas. Cor non comedas. Cum profectus fueris, non redeas. Per uiam publicam ne ambules. Hirundinem in domo ne ſuſtineas.* In quae qui commentati ſint, habes in *Fabric. Bibl. Gr.* L. II. c. 12.

IV. *fol.* 33. iterum reſumitur *Exemplorum* congeries *n.* 2. indicata, atque hic inter fontes *Innocentium III. de miſeria condicionis humane* citari video, e cujus obitu an. 1216. judicium ſaltem de aetate *Collectionis* iſtius ferri poteſt. Quin et Titulus ejus e *fol.* 37. innoteſcit, ubi legitur: *Incipit liber tertius tripartiti moralium.* Initium: *Sicut dicit macrobius ſuper ſompnium ſcipionis* &c. et mox ait Autor: *Sequor autem in hoc* (libro) *potiſſime fulgencium* (Fab. Planciadem) *in l. mitologiarum. Item martianum* (Capellam) *de nuptijs philologie. et remigium* (Antiſſiodor.) *expoſitorem ſuum. alanum* (ab Inſul.) *de planctu nature interponens bijs frequenter gratioſa figmenta eſopi et m. Auiani.* Proceditur et hic ordine Alphabeti, ut in praecedentibus hujus *Tripartiti* fragmentis, primique Tituli ſunt: *Actiua uita. Anima. Aduerſitas. Adiutorium. Adulatio* &c. Quod ſi de ejus Autore quaeras, in *Conradum de Halberſtadt* O. P. vehementer inclinor motus maxime codice *mſ.* Biblioth. Metropolit. *Magdeburgenſis*, quem ſibi hoc titulo: *F. Conradi de Halberſtat Tripartitum Opus Morale juxta Alphab. ſeriem*, viſum teſtatur *Burc. Gottb. Struvius Introd. ad notit. Rei lit.* c. 4. §. 38. p. 191. *Ienae* 1706. 8. Conſentit Codex *Sanjacobeanus*, et teſtimonium *Ludovici de Valleoleti: F. Conradus fecit Tripartitam per Abecedarium*, in *Scriptt. O. P.* T. I. p. 466. ubi, ut mihi quidem videtur, non neceſſario plures *Conradi Halberſtadienſes* ſtatuuntur. Floruit Noſter primo Sec. XIV. dimidio. Vide *Fabricii Bibl. med. Lat. L.* III. p. 412. Ceterum Opus iſtud probe diſtinguendum a ſequenti ejusdem Autoris.

V. *fol.* 53. p. 2. *Tertia pars triuij Conradi de Halberſtad ordinis pred.* Et *fol.* 67. *Prima pars triuij fratris Conradi de Halberſtad.*